

I 4 Haec animi inter utrumque dubii, nec ad recta fortiter nec ad praua
uergentis, infirmitas qualis sit, non tam semel tibi possum quam per partes
ostendere. Dicam quae accidunt mihi; tu morbo nomen inuenies.

5 Tenet me summus amor parsimoniae, fateor: placet non in ambitionem
cibile compositum, non ex arcula prolata uestis, non ponderibus ac mille
tormentis splendere cogentibus expressa, sed domestica et uilis, nec seruata
nec sumenda sollicite;

(...)

VII. 3 Nihil tamen aeque oblectaucrit animum quam amicitia fidelis et dulcis.
Quantum bonum est, ubi praeparata sunt pectora in quae tuto secretum omne
descendat, quorum conscientiam minus quam tuam timeas, quorum sermo
sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet,
conspectus ipse delectet! Quos scilicet uacuos, quantum fieri poterit, a
cupiditatibus eligemus: serpunt enim uitia et in proximum quemque
transiliunt et contactu nocent.